

Casareae Majestati.

Ne a suae ditioris subditis latroni famulo ^{Thumpele} receptus detur, curaturum se promittit.

134

Reverendissime & Excellentissime Princeps, Domine
 Patris nostri charissime & honorande. Ex litteris Ma-
 jestatis Vestrae heri ad nos allatis intelleximus es-
 se ^{Thumpele} quendam, qui privatis inimicitias hostili-
 ter omnes in universum Majestatis Vestrae subditos
 & Marchionatu Moraviae persequitur, eorumque facult-
 tates omnes, insidiis factis, persuntatur atque in-
 tercipit, quas sane insidias usque eo pro talibus dicitur,
 ut eas etiam in agris & fundo ^{Thumpele} a domibus
 niorum nostrorum collocare non dubitet. Esi autem
 cum ad Senatum nostrum, quem presentem in Co-
 mitiis habemus, de ea re referemus, aliquot exem-
 pla commemorata sunt, ex civibus videri potest,
 parvam admodum nosstrum hominum in hoc ge-
 nere a Subditis Majestatis Vestrae Silesis, et o-
 lim habitam fuisse, et nunc etiam haberi ratio-
 nem, propterea quod predones suos nostris homi-
 nibus persequentibus tunc Bratislaviae, tunc Gli-
 nitii, tunc etiam alibi non modo officium Ma-
 gistratus non adfuerit, sed etiam difficultates aliae,
 atque molestiae non ferendae a subditis Majestatis
 Vestrae objectae atque illatae sunt: tamen pro
 nostro erga Majestatem Vestram amore, & obser-
 vantia, quam uti Patri liberiter deferimus, non
 ea exempla intuentes, quae a Silesis in nostros
 homines aut edita ante sunt, aut etiam edun-

tur

1001

tur in eodem genere, sed memores pactorum nostro-
rum communium, quae cupimus etiam aliquan-
do a subditis Majestatis Vestrae aequè obse-
ri, curabimus, ut ne hic isce Thumpelt receptum
usquam in terris nostris habeat, neve, si usquam
in ditione nostra per Majestatis Vestrae subdito-
rum deprehensus fuerit, officium Magistratum nostro-
rum subditis Majestatis Vestrae defuisse in hoc ge-
nere videatur. Jam nunc enim et litteras univer-
sales dari, et publica praeconi voce denunci-
ari ubique iussimus, ut ne quis sit subdito-
rum nostrorum, qui receptum illi intra suas
aedes dare audeat, Magistratibus autem nostris
et prefectis mandamus, ut in deprehensum et of-
ficio suo animadvertant. Confidemus etiam
Majestatem Vestram nostrorum vicissim homi-
num non minorem in eodem casu esse habituram
rationem, quam optime valere cupimus, ejusque
paterno amori nos commendamus. Datum Var-
saviae Quarta Decembris.